

6. Atqui ens debet perfecte differentias ex se excludere; secus ens per idem in se ipso distingueretur, per quod est unum; dist.: per idem et sub eadem ratione — nego; per idem, sed sub diversa ratione sc. ratione differentiae. subd.: quin sit fundamentum in re — nego, ita ut sit fundamentum in re — conc.

Contra III—V. thesim:

7. Atqui si fundamentum distinctionis est in re, conceptus entis saltem metaphysice unus est; dist.: si est fundamentum perfectum — conc.; imperfectum — nego.

8. Atqui adest fundamentum perfectum distinctionis inter ens et suas determinationes; nam ens ad inferiora determinatur, sicut genus et species additis differentiis; dist. tanquam genus logicum — conc.; tanquam genus metaphysicum — nego.

9. Atqui contrahitur ad inferiora tanquam genus metaphysicum; nam praedicatur tanquam praedicatum essentiale de omnibus inferioribus, sicut genus et species; dist.: analogice — conc.; univoce — nego.

10. Atqui etiam univoce praedicatur; nam ens continetur, e. g. in substantia. Atqui substantia univoce de suis inferioribus praedicatur. Ergo etiam ens.

Dist. mai. Vel univoce vel analogice — conc.; semper univoce — nego.

Dist. min. De creatis substantiis — conc.; de Deo et creaturis — nego.

11. Atqui de omnibus univoce praedicatur; nam modi entis sunt perfecte extra comprehensionem entis ut sic, dist.: ut modi — conc.; ut entia quaedam — nego.

12. Atqui modi sunt perfecte metaphysice extra rationem entis; nam vel sunt realitates physicae vel metaphysicae vel entia rationis. Atqui neque sunt realitates physicae neque entia rationis. Ergo sunt realitates saltem metaphysicae.

Nego disjunctionem, et addo membrum omissum: vel sunt eadem realitas metaphysica entis, sed *alio modo* expressa.

13. Atqui alias modus expressionis non sufficit ad distinctionem inter ens eiusque modos; secus conceptus entis non esset in se unus, neque ad inferiora contrahi posset; dist.: non esset metaphysice unus, neque compositione metaphysica contrahi possit — conc.; non esset logice unus, neque logica compositione contraheretur — nego.

14. Atqui metaphysice contrahitur; nam ens ut ratio communis omnium rerum debet differentias omnes *praecedere*; dist.: ratio entis ontologice communis, ut Pantheistae volunt, deberet *praecedere* — conc.; logice communis, subd.: si adest perfecta *praecisio* — conc.; si adest imperfecta — nego.

15. Atqui debet adesse perfecta *praecisio* inter ens eiusque modos; alias intercederet analogia attributionis inter ens eiusque modos, ac proinde nulla creatura sine Deo, nullum accidens sine substantia cogitari posset; dist.: si analogia esset extrinseca, ut in sanitate respectu hominis et medicinae — conc.; quum sit intrinseca; subd.: non posset creatura *perfecte* et *adaequata* sine Deo concipi — conc.; neque imperfecte et inadaequata — nego.

Ratio enim entis omnibus rebus est intrinseca ac proinde possunt etiam in se ut entia concipi, licet non semper perfecta sit haec cognitio.)

Appendix de ente rationis.

1. *Notio et natura:* Intellectus non solum potest ea concipere quae sunt, i. e. existunt vel esse possunt, sed saepe etiam eiusmodi obiecta concipit, quae neque in ordine physico neque metaphysico, esse possunt, e. g. nihil absolutum i. e. repugnantiam. Haec igitur obiecta mens concipit *ad modum* entis, cum nihil possit sibi representare nisi sub ratione entis. Hae mentis conceptiones vocantur „*entia rationis*“; et sunt illa, quae *tantum obiective in mente existere possunt*. (Etenim triplici modo ens rationis considerari potest: a) *effective*, quod a mente productur, e. g. exemplaria artis, species expressa; b) *inhaesive* et *subiective*, quod mentem afficit et informat, sicut accidentis subiectum suum e. g. apprehensio, iudicium, scientia; c) *obiective*, quod a mente tanquam obiectum cognitum est. Hoc vero obiectum mentis potest esse tale, ut vel existat vel possit existere extra mentem, vel ut non possit existere nisi in mente et per mentem. Hoc igitur ultimum obiectum vocatur *ens rationis*, non vero *ens rationis effective*, vel *inhaesive*, vel *obiective sensu priore acceptum*; haec enim sunt *entia realia* vel *physica* vel saltem *metaphysica*. *Ens rationis* igitur *tantum in mente existit*, et per hoc differt ab omnibus obiectis ordinis physici vel metaphysici mente perceptis; deinde in mente *tantum obiective existit*, et per hoc differt ab actibus et habitibus mentis; denique in mente *tantum obiective existere potest*; et per hoc differt ab obiectis mere possibilibus.)

2. *Divisio entis rationis:* *Ens rationis* potest esse: a) *sine fundamento in re*, sicut chimaera, circulus quadratus; sed hoc *ens rationis* ne obiective quidem vere in mente existere potest, nisi ratione terminorum, non tanquam conceptus in se unus. b) *Ens rationis cum fundamento in re*. Hoc iterum dividitur in *ens rationis* 1^o *negativum*, quod est negatio alicuius realitatis concepta tanquam *ens reale*; e. g. nihil, vacuum; quae negatio si in subiecto aliquo non apto concipitur, dicitur simplex *carentia*, e. g. lapis non videns; 2^o *privativum*, quod est negatio realitatis debitae in subiecto apto concepta ad modum qualitatis, e. g. caecitas; 3^o *relativum*, quod est relatio mere logica concepta per modum realis relationis, e. g. genus, species, distinctio rationis, subiectum, praedicatum, universalitas, conceptus formaliter consideratus etc.

3. *Relatio entis rationis ad ordinem realem:* In *ente rationis* potest considerari ipsum *significatum* et *modus significationis*. *Significatum* potest in rerum natura existere proxime vel remote, non tamen formaliter i. e. *ut ens rationis*, neque ut *realitas positiva*, e. g. caecitas, vacuum, foramen, repugnantia. *Modus vero significationis*

non potest esse nisi in sola mente, quae concipit aliquid tanquam ens, quod nullo modo est ens. Hic autem modus conceptionis non inducit falsitatem in mentem, quia non affirmatur.¹⁾ Ex hac natura entis rationis sequitur, non convenire cum ente reali in unum conceptum univocum. Neque vero mere aequivoce nomine entis appellatur; vocatur enim ens, quia mens illud ad modum entis concipit, ac proinde per quandam analogiam cum ente reali, et quidem attributionis, quia mens ens rationis non potest concipere nisi per ens reale et dependenter ab illo. Non tamen est analogia attributionis intrinseca, quia ratio entis transcendentalis enti rationis vere et proprie non inest. Unde non restat nisi ut sit analogia attributionis extrinseca inter ens reale et ens rationis.²⁾

§ 3. Principia transcendentalia ex notione entis deducta.

1. *Notio principii in genere*: Principium illud vocatur, quod est primum, ad quod aliquid sequitur. Unde duo includit: *prioritatem aliquam et ordinem consecutionis*.

Iam vero *prioritas* potest esse *realis* et *rationis*. *Realis* est, si unum aliud sequitur in ordine reali vel physico vel metaphysico, et potest esse prioritas: a) *temporis vel loci*, e. g. aurora initium diei; b) *naturae*, e. g. causa et effectus; natura et vires; c) *originis*, ut in personis divinis. Prioritas *rationis* adest, quando mens ea quae per se simul sunt, non simul percipit, immo id quod per se posteriorius est, prius percipit, e. g. naturam cognoscens ex eius individuatione; cognitionis mundi praecedens cognitionem Dei.

Ordo autem *consecutionis* supponit aliquem nexus, qui potest esse mere *extrinsecus*, e. g. ratione temporis vel loci; vel *intrinsecus*, si unum in realitatem sive in existentiam alterius subsequentis influit, e. g. causa et effectus. Hic autem nexus *intrinsecus* potest iterum esse *metaphysicus*, si fundatur in rerum essentia, e. g. anima et intellectus, Deus et possibilia; *physicus*, si esse aliquod physicum (existentiam) communicat, e. g. causa efficiens; *logicus*, si rei alieni cognoscibilitatem confert.)

2. *Principia logica in specie*:³⁾ *Principia logica* sunt quaedam veritates generales sive iudicia maxime universalia, quae sive implicite sive explicite praecedunt alias omnes cognitiones nostras, et sunt

¹⁾ Cfr. S. Thom. de verit. qu. 1. a. 8. ²⁾ Vide praeclarissimas de ratione entis Suarezii Metaphysicas disputationes 54. ³⁾ Cfr. Überweg, System der Logik⁴, § 75–81. Wundt, Logik², I, 558 sq.; porro Phil. Jhrb. 1901, pag. 267 sq.: Willem, „Die obersten Seins- und Denkgesetze nach Aristoteles und hl. Thomas v. Aquin“. Willmann, Philos. Propädeutik², 1905, I, § 14–16.

causa formalis earum certitudinis. Hic igitur non sermo est de principiis illis theoreticis vel practicis, quae in singulis scientiis artibusque ut axiomata sive ut normae legesque operandi statuuntur; sed hoc loco tractantur principia logica omnium maxime universalia, in quo particularia illa fundantur; sunt igitur *transcendentalia*. Praecedunt enim omnes nostras cognitiones; non autem necesse est, ut ante omnes alias veritates directe et explicite cognoscantur, sed sufficit, ut *indirecte et implicite in et cum aliis veritatibus* percipiatur tanquam earum *fundamentum ultimum*, ita ut causam assensus nostri investigantes tandem ad illas perveniamus, quemadmodum in thes. XII. criticae p. 138 de principio contradictionis probavimus. Si agitur de cognitione directa, principia haec habent prioritatem saltem naturae; si agitur de reflexa, habent etiam prioritatem temporis.

Deinde illa principia dicuntur *causa certitudinis cognitionis nostrae*. Non autem sunt *causa materialis*, in quibus tanquam in fonte suo aliae veritates contineantur et ex quibus deducantur. Eiusmodi enim principia *deductiva generalia* pro nobis non existunt, nisi cum Pantheistis absolutum quoddam et essendi et cognoscendi principium commune statuas, vel saltem cum Ontologistis intuitionem quandam divinae essentiae vel divini intellectus tanquam fontem omnis certae veritatis requiras. Sunt igitur principia *formalia*, in quibus tota nostrae cognitionis certitudo nititur et per quae necessitatem suam habet. Unde sunt potius principia *reductiva*, ad quae vel explicite vel implicite cognitionis quaeviis reducenda est, ut videamus eam certam et quidem metaphysice certam esse. Ad haec igitur principia si reducitur certitudo physica et moralis, metaphysica evadit.)

3. *Principium identitatis*:¹⁾ Formata idea entis, mens non sistit, sed natura duce progreditur ad iudicium formandum, in quo solo est plena veritas et perfecta cognitio. Mens igitur affirmit simpliciter, quod in idea entis percipit dicendo: *Ens = est* vel: *Quod est, est*. Hoc iudicium, ne mera sit tautologia, emphasi quadam proferatur et significat: *Quod est, certe est* vel *necessario est*, in quantum revera est, i. e. extra nihil positum est. Neque vero ex hoc immediate inferendum est, quod Pantheistae Eleatici, necnon Fichte, Schelling, Hegel inde deduxerunt: *Quod est, est*; ergo nihil est, neque esse potest praeter ipsum, ac proinde ens est unum et omnia. Supponunt enim, quin probent, illud ens abstractum, universale, commune omnibus rebus esse ipsum esse absolutum, reale, aeternum, infinitum.

Iudicium hoc omnium primum, ortum immediate ex perceptione entis, vocatur *principium identitatis*. Potest autem modo quoque

¹⁾ Cfr Eisler, Wörterbuch d. philos. Begriffe, 1899, Art.: Identitäts-Prinzip.

negativo formari: Non ens = non est, vel: *quod non est, non est*. Atque hoc principium identitatis primus Parmenides Eleates statuisse videtur, ut Pantheismum suum inde deduceret. Deinde vero Aristoteles expresse illud saepius exhibit, ut Heraclitem et Cratylum redarguat, qui omnia in fluxu continuo esse docebant.¹⁾ Licet vero primum sit principium quoad originem, vix tamen adhibetur, quia nimis vagum est, neque quidquam eo mediante sine tautologia deduci potest.

4. *Principium contradictionis*: Iam vero si utraque forma principii identitatis et positiva et negativa coniungitur, aliud principium inde nascitur maximi momenti et valoris fundamentalis. Unde iudicia: *Quod est, est; quod non est, non est, simul sumpta efficiunt aliud: quidquid est, non est nihil, vel: nihil potest simul esse et non esse; vel si modo modali exprimitur*:

Impossible est, idem simul esse et non esse. In qua expressione vox: „simul“, simultaneitatem (temporis) praedicatorum contradictiorum (entis et non-entis) significans, apposita est, ut principium etiam applicari possit ad res contingentes, quae successive quidem, sed non eodem tempore opposita praedicata habere possunt, e. g. homo nunc insipiens potest postea esse sapiens.²⁾ Hoc igitur principium vocatur principium *contradictionis*, quod est fundamentale et in *ordine ontologico*, quia immediate ex idea entis realis, metaphysici oritur, et in ordine *logico*, qui debet esse conformis ontologico, quia omne iudicium, ut sit certum et oppositi possilitas excludatur, supponit hoc principium. In ordine vero logico principium contradictionis hoc modo profertur: De eodem subiecto non potest idem eodem tempore (sub eodem respectu) affirmari et negari.³⁾

Atque hoc principium Plato⁴⁾ et Aristoteles⁵⁾ primi expresse statuerunt, neque quisquam illud serio in dubium vocare potest, quin se ipsum neget.⁶⁾ Kant hoc principium, sicut illud identitatis, quae duo inter se confundit, neque recte exprimit⁷⁾, ad ordinem mere subiectivum, logicum *restringit*, negans eius valorem obiectivum metaphysicum. Hegel vero et Herbart, contradictorium nimium extendentes ad quamcunque oppositionem (e. g. pater et vir), falsa inde deduxerunt: Hegel quidem, opposita et contradictoria simul, immo identica esse posse⁸⁾; Herbart vero, nullam rem posse simul habere plures et diversas proprietates, non igitur existere, nisi entia simplicia (Realen).

¹⁾ Metaph. I, 5; porro III (IV) c. 5—8. S. Thom. 4, metaph. lect. 4. ²⁾ Cfr. Balmes, Fundamente d. Philos. III, c. 17. ³⁾ Cfr. dialect. p. 55. ⁴⁾ De republica 10; 603; Cratylus 385. ⁵⁾ „Ἄδοντος ἡπειρα εἶναι καὶ μὴ εἶναι“, cfr. Metaph. II (III) 2; Metaph. III (IV) 3—7. ⁶⁾ Cfr. S. Thom. 1. 4 metaph. lect. 2; cfr. crit. p. 139 sq. ⁷⁾ Tautologice exprimit: „Nulli subiecto praedicatum convenient, quod ei repugnat“. ⁸⁾ En argumentum eius: „Der Anfang enthält beides: Sein und Nichts, ist die Einheit von Sein und Nichts, oder Nichtsein, das zugleich Sein und Sein, das zugleich Nichtsein ist“. Wissenschaft der Logik, 1. Abt., p. 68 et 78; porro Encyklopädie, § 88; vide E. Fischer, Grundproblem, p. 100 sq.

5. *Principium exclusi medii*: Ex principio contradictionis immediate sequitur illud *medii exclusi* inter duo contradictoria, quod metaphysice modo disiunctivo exprimitur: *Omnis res aut est aut non est*; logice autem: *Duae propositiones contradictoriae non possunt simul esse verae neque simul falsae*.¹⁾ Patet, hoc principium immediate sequi ex principio contradictionis. Si enim medium esse posset inter esse et non-esse, non iam verum esset, idem non posse simul esse et non esse. Heraclitus et Anaxagoras, necnon Sceptici cum Epicuro, postea Hegel cum suis discipulis, omnes contradictiones in identitatem resolventes, hoc principium ex natura motus negare co[n]nati sunt.

6. *Principium rationis sufficientis*: Denique *principium rationis sufficientis* immediate ex notione entis, seu ex principio contradictionis derivatur, et sic pronuntiatur: *Quidquid est, habet rationem sufficientem*. Hoc principium, sicut et cetera, non potest proprio probari, sed declarari et exponi ex ipsa notione entis: a) Quidquid enim est ens, opponitur non-enti i. e. nihilo sive essentiae sive existentiae. Debet igitur in se habere, quod et per quod nihilo opponatur; secus deberet simul esse et non esse. Ergo nihil potest esse sine ratione sufficiente. (Vel sic: Si quid sine ratione sufficiente esset, deberet esse et non esse: deberet esse ex suppositione; deberet non esse, quia est sine ratione i. e. sine aliqua ratione entis = non-ens. Unde iterum principium contradictionis periret.²⁾ b) Neque indiget principium rationis ulla probatione, siquidem ille, qui eius veritatem vel negaret vel in dubium vocaret, eo ipso eam affirmat. Neque enim negaret vel dubitaret, nisi ei ratio sufficiens veritatis deficere videretur, vel nisi ipse haberet rationem sufficientem negandi sive dubitandi; ac proinde negando vel dubitando iam supponit illud principium. Ergo est certum et evidens, neque ullo modo in dubium vocari potest.

Plato videtur primus hoc principium rationis expresse in „Timaeo“ (28a) statuisse; Aristoteles autem magis explicavit³⁾ triplicem distinguens rationem: rationem sufficientem *essendi, fiendi, cognoscendi*. Epicurus hoc principium negavit dicens, mundum concursu atomorum *casu factum esse*, a Ciceroni propterea valde vituperatus, quod statuerit posse quidquam „sine ratione“ fieri. Epicuri sententiam moderni Materialistae, Sensistae et Empiristae, ut

¹⁾ Cfr. Aristot. metaph. III (IV), 7. ²⁾ Nimium igitur videntur modernis philosophis concedere, qui statuant, hoc principium non posse ex principio identitatis sive contradictionis deduci, ac proinde non esse analyticum, sed syntheticum a priori, sicut et principium causalitatis ex illo fluens; esse quidem postulatum omnis cognitionis et immediate evidens, non tamen probari, esse etiam legem universalem essendi. (Cfr. Akadem. Monatsbl., 1900, p. 260 sq.) ³⁾ Metaph. IV (V), c. 1. Cfr. Eisler, l. c. Art.: Grundsatz vom Grunde.

J. St. Mill et alii¹⁾, sequuntur, saltem in origine rerum explicanda. Leibnitzius (+ 1716) in hoc principio explicando multam posuit operam, illudque ultimam rationem certitudinis in veritatibus contingentibus esse putavit, sicut principium contradictionis ultima esset ratio assensus in veritates necessarias. Etiam actiones nostras liberas habere rationem sufficientem adaequatam in statu mentis actum liberum praecedente. Unde apparet, eum huic principio *nimirum* tribuisse. Parum vero ei tribuunt Idealistae, praesertim Kant eiusque discipuli, in primis Schopenhauer²⁾, arbitrantes, hoc principium non habere valorem nisi in ordine subiectivo cognitionis et esse iudicium syntheticum a priori, non vero mere analyticum. Hegel docet, esse unitatem identitatis et differentiae secundum legem oppositorum tollendorum ab ipso decretam; Herbart vero in reactione quadam posuit, i. e. in tendentia quadam se conservandi „realium“ simplicium, quae ipse tanquam elementa ultima omnium rerum ad instar monadum Leibnitzi habuit.³⁾

Thesis VI: Principium contradictionis est analyticum, obiectum omnium primum ac certissimum.

St. qu. 1º Propriam de hoc principio statuimus thesim, quia est fundamentum omnium principiorum in ordine essendi et cognoscendi. — (Analyticum vocamus, non quasi non *occasione* experientiae formetur, sed quia non oritur *ex* experientia, sed *ex idea entis*, unde est principium *a priori* et *analyticum*, non syntheticum.

2º Adversantur nobis iam aliqui veteres,⁴⁾ ut Sophistae, necon Sceptici, Sensistae, ut Lucretius Carus et Sextus Empiricus; moderni Positivistae et Transformistae, e. g. J. St. Mill, Spencer, et alii omnem veritatem necessariam, immutabilem negantes; porro Kant cum Idealistis nonnisi valorem subiectivum huic principio concedit.

I. Principium contradictionis est analyticum.

Prob. Ex notione iudicij analyticij: Iudicium analyticum illud est, in quo identitas subiecti et praedicati ex utriusque comparatione eluet. Atqui in hoc principio praedicatum immediate ex conceptu subiecti derivatur; nam in simplicissima eius forma: Quidquid est, non est nihil, subiectum: Quidquid est = quicquid non est nihil, idem significat ac praedicatum. Ergo principium contradictionis est analyticum.

II. Habet obiectivum valorem.

Prob. Ex eius origine: Notio entis habet obiectivum valorem; est enim abstracta a rebus existentibus et fundamentum omnis con-

¹⁾ Pesch, Inst. log. III, 427. ²⁾ Schopenhauer, Ueber die vierfache Wurzel des Satzes vom hinreichenden Grunde; cfr. Pesch, l. c. p. 57 sq. ³⁾ Similiter Hermes, cfr. Kleutgen, Phil. d. Vorz., n. 99 sq. ⁴⁾ Cfr. s. Thomam apud Alamanum, I, p. 305 sq.; Aristot. metaph. III (IV), cc. 3—8; Al. Schmid, Erkenntnisslehre I, 227; II, 13 sq.

ceptus obiectivi. Atqui principium contradictionis est immediate deductum ex notione entis, neque quidquam exprimit, nisi quod in ea contineatur. Ergo habet valorem obiectivum.)

III. Est principium omnium primum et fundamentale.

Prob. Ex eius natura: Illud principium est omnium primum et fundamentale, quod ex nullo alio legitime deduci potest, et ad quod omnia alia principia reduci possunt et debent. Atqui a) principium contradictionis ex nullo alio legitime deduci potest; nam oritur immediate ex notione entis positive et negative considerati; notio autem entis est prima omnium et ab omnibus aliis necessario supponitur. Ergo etiam principium, ex conceptu entis immediate formatum, erit omnium primum et ab omnibus aliis supponitur.¹⁾

b) Alia principia possunt aliquo modo ad principium contradictionis reduci et ex eo explicari. Sic principium exclusi tertii rueret, si quid simul esse et non esse posset. Item principium rationis sufficientis; posset enim esse aliquid sine ratione, si quid posset simul esse nihil et extra nihil. Esse enim est idem quod „non esse nihil“, et „sine ratione“ idem significat quod „esse nihil“. Principium autem contradictionis ex alio deduci non potest, quin supponatur. Ergo est principium omnium primum ac fundamentale.²⁾

IV. Est principium certissimum.

Prob. 1. Ex evidentiā immediata: Illud principium est certissimum, quod est maxime evidens. Atqui principium contradictionis

¹⁾ Cfr. simile argumentum S. Thomae, 4 metaph. lect. 2. Alamannus, Summa philos. S. Thomae III, p. 39.

²⁾ Ex eo etiam derivatur notissimum illud axioma fundamentale totius scientiae mathematicae: Quae eidem tertio identica sunt, inter se quoque sunt identica; quae eidem tertio non sunt identica, etiam inter se differunt. Quod facile paucis aequationibus mathematicis illustrari potest:

Axioma:

<i>Probatio indirecta:</i>		
	Supponamus: $a \neq b$; tunc:	
(1) $a = c$	$a \neq b$	$a \neq c$ (3)
(2) $b = c$	$b = c$ (2)	$a = c$ (1)
$a = b$	$a \neq c$ (3)	$a \neq a$

Nisi igitur identica eidem tertio etiam inter se essent identica, principia identitatis et contradictionis non iam valerent; a sibi ipsi non iam identicum esset. Iure igitur Leibnitzius, magnus ille et philosophus et mathematicus: „Le grand fondement des mathématiques est le principe de la contradiction ou de l'identité . . . Ce seul principe suffit, pour démontrer toute l'arithmétique et toute la géométrie, c'est-à-dire tous les principes mathématiques“ (Lettre à Clarke; Opera philos. editio Erdmann p. 748; cfr. etiam Ulrici, Das Grundprinzip der Philosophie, 1846, II, 47 sq.), cui tamen Wundt nescio an merito contradicit (System d. Philos. 2, p. 120).

est maxime evidens; adest enim metaphysica evidentia ex identitate subiecti et praedicati et quidem evidentia immediata inter omnes prima. *Ergo* est principium certissimum.

(2). *Ex eius natura*: Illud principium debet esse certissimum, quod est fundamentum omnis certitudinis nostrae et omnium aliorum principiorum. *Atqui* principium contradictionis: a) est fundamentum omnis certitudinis tum in iudiciis analyticis, tum syntheticis. Nam „nulla in iudicando necessitas, ubi nulla appareat impossibilitas iudicandi aliter. Nulla vero impossibilitas, ubi nulla repugnantia. Nulla repugnantia, ubi nulla contradictio. Sed contradictio est tantum inter Esse et Non-esse. Sed haec inter Esse et Non-esse oppositio principio contradictionis exhibetur.“¹⁾ *Ergo* principium contradictionis, excludens opposita ab eodem subiecto, est fundamentum omnis certitudinis.

b) Omnia alia principia universalia possunt ad ipsum reduci ac proinde eorum firmitas et necessitas in illo fundatur. *Ergo* principium contradictionis est certissimum.

3. *Ex absurdo*: Illud principium debet esse certissimum, quod eo ipso, quod in dubium vocatur vel negatur, tanquam certum supponitur et affirmatur. *Atqui* qui hoc principium in dubium vocat vel negat, hoc facit, quia putat, idem non posse simul esse verum et falsum; alioquin nulla esset ratio dubitandi vel negandi, si quidem omnia simul vera et falsa esse possent. *Ergo* principium contradictionis est certissimum, neque unquam serio et interne ab ullo homine negari vel in dubium vocari potest.

Coroll. 1. Quum cetera principia: exclusii medii et rationis sufficientis in principio contradictionis fundentur et in illud resolvi possint, eodem modo analytica, obiectiva, certa esse debent. Quia autem haec principia ex notione entis transcendentalis immediate fluunt, sunt aeque transcendentalia atque ipsum ens, unde ad omnes omnino res applicantur, ita ut aeque valeant, de rebus creatis ac de Deo creatore infinito. Deinde patet, haec principia, orta ex notione entis, esse leges et essendi et cogitandi.

2. Ex argumento sub III et IV appareat; omnia iudicia, ac proinde etiam experimentalia, ultime et fundamentaliter certitudinem et necessitatem suam ex principio contradictionis trahere. Reprobanda igitur est sententia Leibnitii eiusque discipulorum, qui certitudinem et necessitatem in iudiciis experimentalibus principio rationis sufficientis ultime tribuunt. Confundunt enim causam logicam assensus in factum aliquod perceptum cum causa ontologica ipsius facti.²⁾ Assensus noster *certus* in iudiciis syntheticis immediatis

¹⁾ Pesch, Inst. log. II, p. 506. Cfr. criticam p. 124 et 138 sq.

²⁾ Cfr. Pesch, Inst. log. II, 506 sq. Wundt, System der Philos. 1897² p. 75 sq., qui principium rationis sufficientis supremam habet legem mentis nostrae; Logik I, 505 vocat principium identitatis omnium maxime fundamentalis. — Sententia Leibnitii eo magis reicienda est, si sensus auctoris spec-

experimentalibus) proxime experientia nostra externa vel interna ipsius facti producitur, licet nullo modo cognoscamus, unde, cur vel quomodo res ipsa facta sit. Haec autem certitudo physica, orta ex experientia, potest reduci ad metaphysicam, quando saltem hypothetica necessitas facti ostenditur, ita ut, eius existentia per experientiam probata, iam repugnet, illud non existere. Patet, hoc modo fieri certitudinem metaphysicam per reductionem ad principium contradictionis, non vero rationis sufficientis. Ad certitudinem enim requiritur, ut possibilitas oppositi evidenter excludatur. — Si autem per inductionem incompletam ex effectibus constantibus, uniformibus lex aliqua generalis statuitur, tunc haec reductio fit per principium rationis sufficientis, ita tamen, ut ipsum iterum fundetur in principio contradictionis.

3. Ut certa cognitio adsit, saltem physice et moraliter certa, non requiritur, ut explicite ad principium contradictionis reducatur, nisi velis certitudinem philosophice, i. e. reflexive metaphysicam acquirere, sed principium illud implicite latet in omni perfecta cognitione, ita ut analysi eius facta per reflexionem semper inveniatur.

Obi 1. Principium contradictionis est negativum et modale ac proinde supponit simplex aliquod et affirmativum: dist.: est modale et negativum quoad formam logicam — conc.; non exprimit rem positivam sc. rationem entis obiective non-enti repugnantem — nego.

tatur. Negat enim mutuum rerum influxum physicum; monadibus suis simplicibus, quibus omnes res constare arbitratur, tribuit perceptionem quandam et appetitum, i. e. operationem mere immanentem statuitque harmoniam quandam a Deo praestabilitam, ut explicet, quomodo cognitio nostra, ab objectis ipsis nullo modo physice determinata, phaenomenis sit conformis. Statum mentis praecedentem esse causam adaequatam subsequentis tum quoad intellectum, tum quoad voluntatem; ut autem sit ratio sufficiens operationum in se contingentium, non posse fieri existimat nisi quod *melius* sit, quia melius cum minus bono comparatum solum possit esse ratio sufficiens a Deo optimo ut lex generalis constituta. Unde Leibnitius principium rationis sufficientis vocat etiam principium *melioris*. Iam vero haec sententia repugnat: ^{1º} *rationi*, quia si, quod melius est, semper et necessario fit, non posset fieri nisi optimum, quod est omnium melius. Non posset igitur fieri nisi infinite bonum, quod in rebus creatis, finitis repugnat. ^{2º} Repugnat *naturae Dei et hominis*; nam tunc Deus non posset facere nisi melius ac proinde optimum et infinitum in omni ordine; non igitur esset *liber* ad creandum et quemcunque gradum perfectionis finitae creandum. Neque homo posset facere, nisi quod melius est tum in ordine physico, tum in ordine morali, unde sequitur non esse liberum ad magis vel minus perfecte agendum, si quidem illa necessitas melius faciendi antecederet voluntatis determinationem; quare homo vel non posset iam peccare, vel necessario peccaret. ^{3º} Repugnat *experienciae tum externae, tum internae*. Constat, res creatas esse finitas et imperfectas, ita ut meliores fieri possent; mundum hunc non esse optimum, sed sub diverso respectu imperfectum, esse multa mala et peccata in mundo, homines non semper progredi sive in scientiis sive in virtutibus acquirendis. Morbis et tentationibus homines saepe affliguntur et in nobis ipsis aliquid invenimus, quod certe melius esse posset; celebre est illud poetæ: Nitimur in vetitum, cupimusque semper negata.

2. Atqui saltem principium identitatis supponit; dist.: quoad originem — conc.; quoad necessitatem et firmitatem, subd.: supponit inadaequate — conc.; sed nego suppositum; nam principium identitatis per se inutile est; supponit adaequate — nego, vel potius, est idem ac principium identitatis positive et negative sumptum et ad usum logicum applicatum.

3. Atqui principium contradictionis non est ultimum, quia non innotescit nisi per ideas claras et distinctas; porro per conscientiam; dist.: ut per conditionem — conc.; tanquam per rationem formalem certitudinis — nego.

4. Atqui evidenter videtur esse ratio formalis certitudinis; ergo est principium prius; dist.: est ratio formalis certitudinis principio contradictionis intrinseca, ab ipso non distincta — conc.; est ratio ab ipso distincta ac proinde veritas praecedens hoc principium — nego.¹⁾

Caput II: De diverso statu entis.

§ 1. De actu et potentia.

*Notio et divisio*²⁾: Ens potest inveniri in dupli statu: *possibilitatis* et *existentiae*; priore modo vocatur ens in *potentia*, altero ens in *actu*. Significatio haec translata est a facultate physica operandi, quae, priusquam operatur, dicitur esse in *potentia* ad actum producendum, quando vero operatur, dicitur in *actu* esse. *Potentia* igitur significat capacitatem existendi, *actus* autem ipsam *existentiam*.

I. *Potentia* ($\deltaύ\alpha\pi\mu\ς$) distinguitur *objectiva* et *subjectiva*.

a) *Objectiva* est rei *nondum existentis* capacitas ad *existentiam*, et vocatur etiam *idealisa*, *logica*, *metaphysica*, quia non existit, nisi in mente, et significat, rem in se non repugnare (Widerspruchlosigkeit, innere Möglichkeit). Dicitur *objectiva*, quia non est in *subjecto* aliquo, sed est *objectum actionis productricis*.

b) *Potentia subjectiva* est capacitas rei *existentis* ad aliquid; si est capacitas ad aliquid efficiendum, vocatur *potentia activa* (e. g. *intellectus objectum percipiens*), quae iterum est vel *naturalis* vel *supernaturalis*, prout actio viribus naturae purae vel elevatae perficitur. *Potentia subjectiva* vocatur *passiva*, si est capax ad aliquid recipiendum (e. g. *intellectus determinatione ad intelligendum indigens*), sive est *perfectio* sive *privatio aliqua*. Etiam haec dividitur in *naturalem* et *obedientialem*, prout est disposita ad *perfectionem* mere *naturalem* vel *supernaturalem* (vel in se vel saltem quoad modum) recipiendam.

II. *Actus* ($\epsilon\nu\epsilon\gamma\epsilon\alpha$, $\epsilon\nu\tau\epsilon\lambda\epsilon\chi\epsilon\alpha$) proprie definiri nequit, quia est *notio simplex et primum*, quod in omni cognitione, licet indirecte,

¹⁾ Vide alias difficultates veterum: Heracliti, Anaxagorae, Democriti Empedoclis etc. apud s. Thomam et Alamannum III, p. 38.

²⁾ Cfr. Arist. metaph. lib. IX. totus.

simil apprehendimus. Est in eo, ut compleat potentiam. Distinguitur in genere: a) *actus essendi* sive *existendi*, qui opponitur potentiae *objectivae* (semper *passivae*), cui *existentiam* tribuit; et *actus formalis*, qui rem totam (e. g. *hominem*) vel partem determinantem *essentiae* (e. g. *animam*) constituit.

b) Uterque *actus iterum* dividi potest in specie: 1^o ratione *termini* seu *potentiae complendae*: in *substantialem*, qui rem in esse *substantiali*, i. e. simpliciter constituit (*substantia generata vel creata*), et *accidentalem*, qui rem in esse *accidentis* constituit; (et hic *actus accidentalis iterum* dividitur: a) secundum novem genera *accidentium*; b) in *essentialiem* (e. g. *intellectus*, *voluntas*) et *accidentalem* (e. g. *actus intelligendi*); γ in *naturalem* et *supernaturalem* (*gratia*).

2^o Ratione *subiecti*: in *actum sui*, qui ens in se completum continit (non *accidens*, neque *formam*, neque *materiam*, neque *partem*), et *actum alterius*, qui *potentiam subiectivam alterius rei* compleat vel *physice*, ut *anima corpus*, *actus substantiam*, vel *metaphysice*, ut *differentia genus*. Patet igitur, *actum accidentalem* semper esse *alterius*; *actum autem substantialem* posse esse et *sui* et *alterius*; *omnis actus alterius* etiam aliquo modo est *sui*, quia propria *entitate* constat.)

3^o Ratione *dependentiae*: a) in *actum primum*, qui constituit vel totam *substantiam*, vel *potentiam activam ipsam*; (et distinguuntur iterum *actus primus remotus*, qui est *nuda potentia subiectiva* nondum ad operationem expedita et determinata; et *proximus*, qui est *potentia ad actum determinata*;) b) et *actum secundum*, qui est ipsa *operatio*.

4^o Ratione *perfectionis*: in *actum purum*, qui potentialitatem excludit, et *non purum*, qui potentialitatem non excludit. *Actus purus*, qui *omnem potentialitatem excludit*, est solum ens a se, i. e. *Deus*. *Omnia entia creata*, finita sunt *actus magis vel minus non puri*; (nam *omnia sunt in potentia ad actus novos accidentales* (*naturales* vel etiam *supernaturales* *potentia obedientiali*); deinde res *materiales* sunt in *potentia ad actum novum substantialem* (*mutatio chimica*) et ad non-esse; *entia omnia composita* saltem ad non-esse per *physicam dissolutionem* partium; *entia simplicia* saltem *metaphysice* ad non-existentiam, quae omnes potentialitates ab Ente supremo excluduntur.)

III. Relatio inter potentiam et actum sive mutatio.

1. *Notio*: *Transitus a potentia ad actum non immediate a nobis apprehenditur*, sed solum ipse effectus, i. e. *actus productus a potentia vel in potentia subiectiva receptus*; unde percipimus, quandam *mutationem esse factam*, quae in genere definitur: *transitus entis ab uno modo se habendi ad alium*. In quo transitu nunc non conside-